



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXVIII. Vtrùm detur probabilitas purè negativa? & alia ejusmodi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO VIGESIMA- OCTAVA.

*Virum detur probabilitas purè negativa? & alia
ejusmodi?*

Quæstio
hæc cur in-
figatur?

1. **Q**UÆSTIO hæc verè procedit de subiecto non supponente, ideoque nullatenus tractanda fuisse, nisi Celladeus lib. 2. quæst. 7. fusè de ea discernisset, atque circa illam plura protulisset, quæ Lectori ostendiculo esse possint, quæque proinde examinari debuerunt. Inprimis ergo supponit, non paucos benignæ sententiæ Auctores confundere probabilitatem purè negativam cum probabilitate conscientiæ, illamque pro sufficienti conscientiæ regula proponere. Sed more suo neminem citat, cum tamen, qui talia dicunt, maximè citandi essent, ut eorum doctrina vitaretur. Siquidem constat, talem assertionem esse culpandam. Citandi etiam erant, ne paucorum culpa ex Lectoris ignorantia pluribus innoxiiis tribueretur. Deinde, hoc supposito, conatur ostendere, plures esse probabilitates purè negativas, pura defensionis, pura impugnationis, &c. quas omnes ut insufficientes pro conscientia regulanda rejicit. Ex hoc autem magnam benignæ sententiæ cladem se intulisse existimat. Verum in his omnibus irrito conatu laboravit, nam aut nil horum est verum, aut certè si quid verum sit, id nostræ sententiæ non obstat, ut ex sequentibus patefiet. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

*Dicere, dari probabilitatem purè negativam
in sensu Celladei, est ludere in terminis,
& nihil dicere.*

Nil dicit,
qui dicit da-
ri probabi-
litatè purè
negativam.

2. **P**ROBATUR. Opinionem esse purè negativè probabilem in eo consistit, quod adversus se non habeat ullum argumentum certum, aut conclusivum, nec pro se habeat ullum argumentum, saltem grave. Ita Celladeus §. 1. definit opinionem purè negativè probabilem. At dicere, talem probabilitatem dari, est ludere in terminis illisque abuti, quia inauditum est hæcenus, quod probabilitas in carentia omnis motivi, aut motivi gravis consistat, cum omnes benignæ sententiæ Auctores illam in ratione motivi allicientis ad assensum constituent. Nec quodvis motivum alliciens judicant esse probabile, sed illud solum, quod tanta vi allicit, ut, omnibus hinc inde inspectis, mereatur assensum, eò quod sit motivum verè magnum & dignum assensu, etiam in contradictione motivorum contrariorum. Ergo dicere, opinionem omni motivo gravi & magno, imo omni omnino motivo carentem esse probabilem, sed probabilitate purè negativa, est ludere in terminis, illisque abuti; quia perinde est ac dicere, non probabilitatem esse probabilitatem, & inter

probabilitatis species numerari, quod ludicrum est, & ab omni veritate alienum. Certè ea, quæ Celladeus ponit in hac definitione, opinioni cui-libet maximè temerariæ, summèque improbabili conveniunt. Ergo certissimum est, contenta sub hac definitione non esse probabilia. Itaque dum aliqua dicuntur purè negativè probabilia, si rectè loqui velimus, idem est ac si dicerentur non probabilia, qualia reipsa sunt. Ergo vocare illa probabilia est ludere in terminis, illisque ad sensum prorsus alienum abuti, cum omnes definiant probabile per fundamentum grave. Ergo qui sic loquitur, nil dicit.

ASSERTIO II.

*Celladeus inconsequenter loquitur, sibiq. con-
tradicit in definitione probabilitatis pu-
rè negativæ.*

3. **P**ROBATUR. Probabilitas purè negativa est omnium probabilitatum infima, cum alia illa inferior excogitari non possit. Ergo illa non est nobilior probabilitate opinionibus dari solita. At probabilitas opinionibus dari solita datur contra certum ex mente Celladei, lib. 2. quæst. 5. ubi id ipsum demonstrare præcendit. Ergo à fortiori probabilitas purè negativa dari potest contra certum. Neque Celladeus id negare poterit, si rationabiliter & consequenter loquatur; quia illa ipsa probabilitas, contra quam datur certitudo, ad summum est probabilitas negativa, cum ad aliquam probabilitatis speciem pertineat. Non est autem positivè probabile id, cuius oppositum est certum & evidens (ad hoc enim ut opinio per Celladeum sit positivè probabilis, debet habere fundamentum grave, & nil certi, immo nil grave contra illam afferri debet) ergo est solum negativè probabile. Ergo certitudo in sententiâ Celladei dari potest contra probabilitatem purè negativam. Præterea si certitudo dari possit contra ullam probabilitatem, maximè dari poterit contra purè negativam, quæ est omnium minima, & minus habet quàm probabilitas positiva, quæ absque dubio repugnat cum certitudine oppositi. Ergo Celladeus inconsequenter loquitur, sibiq. contradicit, dum definit opinionem purè negativè probabilem per hoc, quod nil certum in contrarium offeratur.

ASSER.

ASSERTIO III.

Propositum sit exponere causam, ob quam Celladeus monstruosam hanc, inauditam, atque in terminis implicantem probabilitatem purè negativam induxit.

4. **F**UNDAMENTUM proximum hujus inventi fundatur in inaudita, ac patenter falsa definitione opinionis probabilis à Celladeo proposita. Ille enim opinionem probabilem definit per impunitatem quoad eam docendi ac evulgandi. Hoc stante, ut consequenter loqueretur, debebat dicere omnem opinionem, cui talis impunitas convenit, esse probabilem. At illa impunitas tribuitur ab ipso multis opinionibus, quæ juxta ipsum omni fundamento, saltem gravi, carent. Ergo necesse erat, ut diceret, tales opiniones esse probabiles. At videbat illas non habere fundamentum, quod ad positivam ac veram probabilitatem sufficeret, ideoque coactus est eas novo & inaudito vocabulo vocare opiniones purè negativè probabiles. Hæc videtur proxima & immediata origo hujus incongruæ locutionis. Hinc apparet, quàm miserè viri docti nonnunquam labantur, quando communem ac tritam Doctorum viam deserunt, & novas vocum significationes novasque terminorum definitiones contra communem omnium sensum, & notissimam terminorum acceptionem sibi præfigunt.

Quod si loquamur de remota falsæ hujus ac improprie locutionis causa, illa videtur fundari in mala intellectu aliquorum assertorum, quæ Auctores gravissimi tradunt esse verissima, & sunt verè probabilissima, quamvis illorum probatio aliquo modo in negatione motivorum pro una vel altera parte consistat. Hoc quomodo fieri possit, exponendum est per sequentem assertionem, ex qua unusquisque facillè perspiciet, quænam fuerit prima origo hujus erroris in Celladeo.

ASSERTIO IV.

Aliquando, stante dubio de utraque parte contradictionis, pars minus tuta est probabiliter licita; non tamen per negativam, sed per probabilitatem manifestè positivam.

5. **P**ROBATUR. Dubitet aliquis, an votum emiserit? Aut an res ab ipso possessa ad alium pertineat? In hoc casu si debitam diligentiam ad veritatem inveniendam adhibeat, illamque invenire non possit, sed post omnem conatum, tam votum quàm jus alienum maneat dubium, probabile est, quod non teneatur ad voti impletionem, aut rei possessæ alienationem. Hæc probabilitas fundatur in carentia rationum, vel certè in carentia rationum prævalentium pro una parte, id est, fundatur in dubio negativo vel positivo de voto emisso, vel de jure rei possessæ. Hoc dubium, reflexè cognitum, est motivum saltem parziale, ex quo homo legitime infert, quod non teneatur aut ad votum, aut ad restitutionem. Exemplum pono in casu possessoris dubii de jure alieno. Talis enim discursus formatur. In dubio melior est conditio possidentis, quia æquum non est, ut propter merum dubium sua se possessione spoliet. Hoc est principium lu-

mine naturæ notum, & ab omnibus admissum. At Titius, post debitam diligentiam adhibitam, manet dubius, an res à se possessa ad Caium pertineat. Ergo melior est conditio Titii, qui proinde licitè retinet rem possessam, nec tenetur eam Caio dare, seu restituere. Hæc & aliæ plures probabiles fundantur in dubio tanquam in objecto, quod assumitur pro fundamento discursus. Verùm istæ probabiles sunt probabiles manifestè positivæ, quia consistunt in motivis, & quidem gravibus ac rationabilibus, quæ positivè & vehementer impellunt ad assensum. Ergo aliquando, stante dubio directo de utraque parte contradictionis, pars minus tuta reflexè considerata evadit probabiliter licita, non tamen per negativam, sed per probabilitatem manifestè positivam.

6. **P**ROBATUR secundò. Omnis opinio est assensus. At repugnat assensus sine omni motivo. Ergo & opinio probabilis. Ergo repugnat opinio purè negativè probabilis, quæ omni omnino fundamento careat. Rursum opinio probabilis plus dicit, quàm opinio. Ergo plus dicit quàm habere motivum. Ergo superaddit magnitudinem aliquam atque præcellentiam in suo motivo. Ergo repugnat opinio probabilis, cui desit motivum, validum, præcellens, magnum, grave, ac prudens, quia hæc omnia identificantur cum propria differentia motivi probabilis. Consideret hæc Celladeus, & videbit inanem esse distinctionem probabilitatis in positivam ac purè negativam, nec ullum ex Auctoribus benignæ sententiæ ostendet, qui probabilitatem talem agnoscat, quamvis multos inveniet ita loquentes de dubio, sicut ego in assertionem locutus sum, in quo tamen casu probabilitatem positivam exigunt, ut quis aut sententiam suam debitè profert, aut conscientiam rectè formet. Interim remota ac radicalis origo deceptionis Celladei in hac aliquorum Auctorum locutione fundari videtur.

Nulla opinio caret motivo.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. **O**BJICIT primò. Omnibus notum est, Objecto dari argumenta negativa, & per illa plures conclusiones stabiliri. In physicis frequenter utimur hoc principio, non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Jam hoc principium pro inferenda conclusione indiget minore dicente, nullam hic esse necessitatem, quod probari solet progressu negativo. Ergo dantur in scientiis multæ probabiles negativæ, quia conclusio fundatur non solum in majori, sed etiam in minori negativa, & sequitur debiliorem partem. Ergo non habet fundamentum grave positivum. Ergo est probabilis negativè, quia non aliter est probabilis, quàm sicut probatur. Ita Celladeus §. 2. in fine.

Respondeo in primis, Celladeum in hoc argumento inconsequenter discurrere, ac apertè deserere definitionem opinionis purè negativè probabilis, prius stabilitam; illam enim definierat esse, contra quam nil certum assertur, modò illa pro se nullum fundamentum, saltem grave, habeat. At jam in argumento vocat opinionem negativè probabilem, quæ non habet pro se fundamentum positivum grave, quamvis habeat validissimum fundamentum negativum, quod non minus sollicitat ad assensum, quàm valida fundamenta positiva. Quid dicis Celladee? Est ne hoc opinionem illam carere omni motivo? Saltem gravi?

Celladeus inconsequenter discurret, & sibi contra dicit.

gravi? Nemo certe ita dixerit, cum nil evidentius, quam opiniones tales non solum non omni fundamento carere, sed gravissimo fundamento, validèque stimulante muniri. Ergo tales opiniones non sunt purè negativè probabiles juxta definitionem probabilitatis purè negativè à te antea stabilitam. Ergo inconsequenter discurre, dum hoc argumento niteris probare, quòd dentur opiniones purè negativè probabiles. Immo, quod plus est, ipse tuam definitionem subvertis, & contradictoria inter paucas lineas doces, cum probatio thesi probandæ apertè contradicat.

Argumenta negativa habent positivam vim movendi, non minorem, quam argumenta positiva.

8. Respondeo secundò. Dantur quidem argumenta, quæ vocantur negativa, quia in propositionibus negativis consistunt. Cæterum illæ propositiones negativæ, ut sint propositiones, debent habere fundamentum, alioquin propositiones ac judicia esse non possent, cum judicium sine motivo elici nequeat. Sanè multæ propositiones negativæ tam sunt evidentes quam positivæ, suntque plures demonstrationes, quarum conclusio est propositio negativa. Anne propositiones negativæ evidentes, & conclusio negativa demonstrata carent omni motivo gravi? Eadem est ratio de propositionibus negativis inevidentibus; illæ enim non minus quam evidentes indigent motivo, & si sint magis rationabiles, ut sæpe sunt, quam aliquæ propositiones affirmativæ, meliori aut validiori fundamento nituntur. Ex his apertè sequitur conclusionem in scientiis, quam Celladeus purè negativè probabilem, ac proinde omni fundamento saltem gravi carentem appellat, non esse talem, cum valido fundamento nuniatur.

Error Celladei notatur.

9. Rursus falsum est, quòd minor illa negativa, sed hic nulla est necessitas, probari soleat in scientiis progressu negativo; quia contrarium prorsus evenire necesse est. Ut enim probemus nullam esse necessitatem actionis distinctæ, v. g. id positivè probamus, quia ostendimus quomodo sine actione distincta omnis indifferentia auferatur, & omnia alia habeantur, ad quæ præstanda actio media introducitur. Neque enim aliter fieri potest, ut probemus nullam dari necessitatem tertii, nisi ostendamus munus illius suppleri posse sine illo tertio. At hoc non nisi argumentis positivis probari solet aut potest, ut patet. Ergo falsum est, quòd illa minor in scientiis progressu negativo probari soleat.

Motivum propositionis negativæ sæpe est entitativè positivum, & semper positivè impellit.

10. Demum displicet, quòd motivum propositionis negativæ dicatur negativum; haud dubiè enim motivum, quo intellectus impellitur ad dissentium, est positivum. Credo Deo dicenti, *Verbum suum non esse factum: Spiritum s. non esse genitum*. An ideo motivum fidei meæ est negativum? Nil minus. Idem enim motivum habeo pro actu negativo, quòd habeo pro actu affirmativo fidei, nempe auctoritatem Dei revelantis, absque dubio est motivum positivum. Idem valet non solum in fide humana, sed extra fidem in propositionibus negativis scientificis, sive illæ evidentes fuerint, sive probabiles; repugnantia enim terminorum, eorumque contrarietas est motivum dissensus. At illa contrarietas est quid positivum, ergo propositiones negativæ fundantur in motivo positivo. Ergo nulla est propositio probabilis negativa, quæ non sit positivè probabilis, seu probabilis ex vi motivi plerumque saltem positivi in se, & semper positivè impellentis ad assensum. Tantum abest, ut negativus in probanda opinione progressus, si admittatur, arguat illam esse purè negativè probabilem, seu non niti

fundamento positivo, aut positivè impellente, ut certissimè evincat oppositum.

11. Objicit secundò. *Vel argumenta, que ad probandam probabilitatem purè negativam, sunt fundamenta gravia, vel non sunt? Si concedas esse gravia, ergo assertio mea est positivè probabilis, ac prudenter posita. Ergo pars opposita erit solum negativè probabilis, ex quaest. seq. ergo habeo conclusionem. Si neges me fundamenta esse gravia. Ergo Conclusio mea erit solum negativè probabilis, pro qua scilicet nullum est positivum fundamentum grave. Ergo per hoc ipsum fundamenta mea sunt gravia, quia per hoc ipsum probant conclusionem, pro qua sunt. Ergo habemus grave ex non gravi, & probamus conclusionem per defectum probationum.* Ita Celladeus loco citato, qui putat se hoc argumento inevitabiliter evincere, quòd dentur propositiones purè negativè probabiles.

Respondeo, opus non esse argumentis ad probandum, quòd multæ sint propositiones & opiniones non probabiles, sed improbabilis, cum omnes id admittamus. Itaque si Celladeus nomine opinionis purè negativè probabilis, intelligat opinionem non probabilem, utpote quæ sola in definitione ipsius comprehenditur, sine argumentis totum concedo. Verum si contendant, quòd dentur opiniones probabiles, ut hoc loco contendit, quæ tamen sint merè negativè probabiles juxta definitionem ab ipsomet stabilitam, non solum id nego, sed dico dilemma, quo putat se rem conficere, esse merum sophisma. Itaque inprimis dato non concessio, quòd argumenta ipsius sint gravia, do etiam non concedo, assertionem ipsius esse positivè probabilem, quia hoc est consequens ad prius datum. Verum quia non sequitur, oppositum esse purè negativè probabile, quia cum hoc stare potest, quòd sit prorsus improbabile, ut patet. Itaque prima pars dilemmatis est prorsus invalida, quamvis antecedens concedatur esse verum. Nec obstat, quòd Celladeus pro consequentiæ probatione remittat se ad quæstionem sequentem, quia in illa solum contendit, utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem. Verum inprimis hoc est falsum, ut quaest. sequenti ostendetur. Deinde quamvis esset verum, ex eo solum sequeretur, partem alteram non esse positivè probabilem, non autem quòd sit probabilis negativè, si voces istæ aliud significent, quam illam non esse probabilem. Itaque Celladeus ad probandam consequentiam, remittit se ad principium non solum falsum, sed etiam insufficientem ad probandum intentum, quamvis illud ipsum admittatur ut verum.

12. Ad secundam partem dilemmatis, quæ magis rem concernit, nil admitto, sed juxta regulam veritatem aut falsitatem respondeo, & dico, fundamenta Celladei gravia non esse; potissimum enim omnium est illud, quòd in prima objectione proposui; illud autem non modò non est grave ad probandum intentum, sed efficacissimè convincit oppositum, ut ostensum est. Porro ex hoc antecedens sequitur, quòd assertio ipsa non sit probabilis, quia & re ipsa, & etiam ex suppositione caret fundamento gravi; non autem sequitur, quòd sit negativè probabilis, aut quòd habeat fundamentum grave, quale habent opiniones, quas argumento negativo probamus. At hoc deberet sequi, ut hæc pars dilemmatis probaret intentum. Falsum ergo est, quòd argumenta Celladei per hoc ipsum evadant gravia, & probent conclusionem intentam; quòd non sint gravia,

ASSERTIO V.

Propositum sit ostendere, Celladeum ex aequivocatione Lectori illudere, & absque fundamento contra apertam veritatem conari, ut sibi persuadeat, Auctores benignae sententiae indubitanter tenere, quod non liceat sequi innumerabiles ex opinionibus, quas illimet dicunt esse probabiles.

14. **P**ROPOSITUM ostenditur hoc modo. In primis Celladeus §. 1. definit opinionem illam esse purè negativè probabilem, quæ ita omni fundamento gravi caret, ut nil certum contra illam sit. Deinde asserit, has probabilitates, si dentur, ex mente Auctorum benignæ sententiæ pro conscientia debite formanda non sufficere, tum quia stulti & imprudentis est moveri ad operandum ex levi fundamento, vel nullo; tum quia Auctores benignæ sententiæ expressè requirunt fundamenta gravia ad probabilitatem pro conscientia regulanda. Tertio, per totum §. 2. conatur ostendere, dari plurimas probabilitates negativas, quales contendit esse omnes illas, quas in scientiis ex modo arguendi negativè probamus. Demum ex his omnibus colligit intentum, scilicet, nullam opinionem probabilem, tali modo probatam, esse sufficientem conscientiæ regulam ex communi omnium Auctorum gravium consensu. Quoad hæc quatuor ejus asserta seorsim sumpta sic discuro. In primis definitio, quam proponit, implicatoria involvit, si termini juxta communem usum & significationem accipiantur. Hoc supra probatum est num. 2. Quod secundo loco proponit est verissimum, si velit definitionem suam solùm complecti non probabilia (qualia cerè sunt omnia à definitione contenta, utpote omni motivo gravi carentia) quia omnes uno ore dicunt, non licere sequi non probabilia, seu omni motivo gravi carentia. At si velit definitionem suam complecti opiniones, quas Auctores benignæ sententiæ, aut dicunt, aut supponunt esse probabiles, & deinde asserat illas ex mente Auctorum nostrorum non sufficere pro conscientia regulanda, & loquitur de subiecto non supponente, & contradictoria simul jungit. Loquitur quidem de subiecto non supponente, quia supponit, Auctores nostros ea vocare probabilia, quæ omni fundamento carent, quo nil falsius excogitari potest, nam omnes definiunt probabile in genere per hoc, quòd gravi fundamento nitatur. Jungit verò contradictoria, quia, facit illos affirmare, licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem, etiam minus probabilem; & simul facit eosdem affirmare, quòd non liceat sequi plurimas opiniones, quas ipsi vocant probabiles. Rursus, facit eosdem fateri, probabilitatem connecti cum carentia fundamenti gravi, cum tamen expressè definiant opinionem probabilem in genere per hoc, quòd habeat fundamentum grave. At hæc sunt manifestè repugnantia. Demum quamvis Auctores nostri in speculativis admitterent tales probabilitates (quod tamen est apertè falsum) non tamen eas in moralibus admitterent, quia expressè asserunt, usum cuiusvis opinionis probabilis in moralibus esse licitum. Ergo nullam in moralibus opinionem reputant probabilem, quæ gravi fundamento caret, quia expressè requirunt tale fundamentum, ut usus opinionis sit licitus.

15. Quod

Celladeum
æquivoca-
re, lectoris
illudere o-
stenditur.

gravia, quia nec re ipsa, nec ex hypothefi vel apparenter hoc probant. Quævis enim conclusio ex æquo improbabilis est, sive probetur esse talis, sive non probetur esse probabilis. Neque enim ad improbabilitatem conclusionis requiritur, ut argumenta illam probent, sed sufficit, ut illam non probent, ut patet. Itaque in hac parte dilemmatis aliud non reperio quam merum sophisma, quod à quoquam vel novitio Theologo facile solvi potest, quia argumentatio eò tendit, ut persuadeat propositionem non probabilem esse probabilem, sed probabilem purè negativè, quod est ludere in terminis, & implicatoria dicere. Quæ cum ita sint, non amplius gloriabitur Celladeus, ni fallor, se vitè inferre grave ex non gravi, & sufficienter probare conclusionem suam per defectum probationum.

Obiectio 3. 13. Obijcit tertio. Sicut absurdum est dicere, Theologos in omnibus leviter discurrere, ita pariter absurdum est dicere, quod in omnibus gravia fundamenta asserant. Ergo aliquando habetur probabilitas negativa. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo, opiniones illas, quas Theologi levi manu pertractant, & sine gravi fundamento evulgant, non esse probabiles, sed improbables, & pro talibus habentur ab omnibus, qui agnoscunt illas gravi fundamento carere. Ergo ex hoc non sequitur probabilitas negativa, nisi per has voces solùm intelligatur non probabilitas. At Celladeus aliud intelligit, ut patet. Ideoque intentum suum non probat. Est & alia æquivocatio, quæ latet in argumento scilicet, opinionem gravium Theologorum nunc carere fundamento gravi, quia jam aliqua apparent in contrarium, quæ ipsos latebant? Hoc autem probat Theologos illos caruisse fundamentum gravi, quia cum invincibiliter ignorarent istas rationes contrarias, habuerunt stimulum vehementem, & motivum grave ad assensum. Motivum enim probabile plerumque constat ex ratione positiva, & negatione argumenti nimium prævalentis, ut sæpe dictum est. Itaque sicut nec Celladeus, nec quicumque alius prudenter dixerit, S. Thomam, aut Scotum ullam thesism leviter & sine gravi fundamento tradidisse, quamvis jam post varias rationes à posterioribus in contrariam allatas, aliquæ illorum opiniones videantur minus solidè fundatæ, quia detectio veritatis à sequentibus non impedit, quòd minus præcedentes gravissimo argumento moti fuerint, ut patet. Ita pariter nemo de gravissimis Theologis recentioribus aliter loqui debet, quamvis aliquæ eorum opiniones jam non censeantur, nec amplius sint probabiles. Incredible enim est, quòd ipsis non fuerint verè probabiles, cum ipsis fundamentum validum ac grave videatur haud defuisse. Itaque tunc illorum sententia erat verè probabilis, & ad conscientiam ritè formandam sufficiebat, licet ad hoc modò non sufficiat, quia probabilitatem perdidit. Sic ego libentiùs loquor de Theologis, qui communiter graves reputantur, quam cum Celladeo dicere, eos in multis leviter ac oscitanter suo functos officio, & plura temerè & absque fundamento gravi enunciaffe. Primum enim & illis honorificum, & veritati consonum est; secundum autem & à veritate, & ab honore debito nimis deficit.

Opiniones
quæ nunc
carent olim
non carebat
motivo gra-
vi.

Celladei cō-
gradiō.

15 Quod tertio loco dicit, repugnat cum antecedentibus; quia dicit illas opiniones, quas modo negativo probamus, esse probabiles purè negativè, ad quod deberent carere omni fundamento gravi; cùm tamen illæ habeant fundamentum gravissimum, & quidem positivum ac positivè influens in assensum. Certè, si illæ opiniones, non sint benè fundatæ, nullas alias inveniet Celladeus benè fundatas, cùm nullæ sint istis magis rationabiles, ut patet.

Alia ex di-
ctis Cella-
dei absurda.

16. Demum, si tertium hoc dictum componatur cum illatione ultima, alia iterum absurda se produnt, quia asserit, tales opiniones ex mente Auctorum benignæ sententiæ non sufficere pro conscientia, quia non sunt nisi purè negativè probabiles, & omni prorsus fundamento careant. Hæc autem omnia sunt falsa. Quinam enim dixerunt, tales opiniones carere omni fundamento? Multi ex ipsis tales opiniones tenent. Anne ipsi censent proprias suas opiniones omni fundamento gravi carere? Rursus peto ut unus illorum afferatur, qui fateatur, opinionem moralem non esse sufficientem pro formanda conscientia, quam admittit esse tam probabilem, quàm sunt illæ assertiones in Physicis, quas probabiles esse admittit, & ex fundamento ac progressu negativo probat. Hunc cùm quæsierit, & non invenerit Celladeus, perspiciet, quàm inane & secum pugnans argumentum attulerit contra nos.

Æquivoca-
tiones Cel-
ladei. & falsi-
tatis illatio

17. Jam si omnia ista Celladei dicta inter se conferantur, veritas assertionis statim patebit. In primis æquivocatione duplici utitur: prima in ipsa definitione opinionis purè negativè probabilis continetur; altera elucet in eo, quod velit, opiniones, progressu negativo probatas, omni solido fundamento carere, quodque insinuare conetur, Auctores omnes ita sentire; quasi verò idem sit fundamento carere, ac progressu negativo probari; cùm toto Cælo discrepent. Celladeus tamen hæc duo confundit, ideoque æquivocationibus Lectori illudit. Rursus ex illis conatur persuadere, quod Auctores benignæ sententiæ pleno ore dicant, nullas opiniones progressu negativo probatas habere probabilitatem sufficientem pro praxi, quamvis ipsimet dicant illas esse probabiles. Jam ad hoc suadendum nil habet præter æquivocationem duplicem jam detectam, ideoque sine fundamento conatum exhibet, nec solum sine fundamento, sed contra apertam veritatem, quia notorium est, Auctores benignæ sententiæ asserere, tales opiniones esse verè ac propriè probabiles, atque ad conscientiam licitè formandam sufficere.

ASSERTIO VI.

Propositum sit explicare, an & quomodo solutio argumentorum in contrarium, impugnatio ad hominem, & argumentum à pari fundent veram probabilitatem.

Sola argu-
mentorum
solutio non
reddit opi-
nionem, cui
favet proba-
bilem.

18 PROPOSITUM hæc explicare, quia Celladeus tribus ultimis §. §. hujus quæst. 7. multa de illis disserit, quæ incautos decipere, non quæ peritos movere possint. In primis ergo dico, solam solutionem argumentorum non efficiere, ut pars, cui favet, sit probabilis; quis solutio, etiam evidens, rationum contrariarum solum offendit, partem adversam non esse benè fundatam; ex quo præcisè non sequitur, partem hanc sufficienti fundamento corroborari. Ergo

sola solutio argumentorum; uni parti faventia, non facit partem alteram esse probabilem; quia ad hoc grāvi fundamento corroborari deberet.

19. Dico secundò, solutio argumentorum, Solutio ad maximè si sit evidens, plurimum conducit ad argumentum probabilitatem partis, contra quam argumenta, multum ob- militat. Ratio est, quia probabilis solutio tollit ducit ad certitudinem & evidentiam à contrario. At hoc probabilitatem, essentialiter requiritur ad probabilitatem. Ergo vel probabilis argumentorum solutio multum conducit ad probabilitatem, cùm ponat partem probabilitati maximè essentialem. Quod si solutio sit evidens, reddit partem, cui argumenta favebant, prorsus dubiam. Hoc autem non solum certitudinem, sed etiam probabilitatem omnem tollit à parte illa, ut patet. Ergo pauciores rationes probabilem efficient partem alteram, utpote contra quam nulla datur ratio. Ergo hæc argumentorum solutio multum conducit ad probabilitatem partis oppositæ.

20. Dico tertio. Impugnatio ad hominem se sola non sufficit, juvare tamen potest ad probabilitatem oppositi. Se sola non sufficit, quia solum ostendit alterum inconsequenter loqui, aut etiam ineptire. Hoc autem non est sufficiens fundamentum dicendi, quod absolute erravit. Juvare tamen potest, quia aliquando illud ipsum, quod redarguit inconsequentiam alterius, directe probat, aut rem ipsam esse veram, aut rationes oppositas non valere. Utrumque autem ad probabilitatem partis, cui favet, juvare potest, ut patet.

21. Idem prorsus dicendum de pura paritate, Argumentum illa enim nisi aliquid aliud adjungatur rarò sufficit tum à pari ad probabilitatem, quia sæpe disparitas adest, solitariè sumptum non sufficit licet non appareat. Deinde aliquando, etsi nulla sit disparitas, argumentatio à pari non valet, ad probabilitatem, quia legislator præcipere voluit unum, non aliud, et si eadem pro utroque præcipiendo ratio adesset. Itaque si aliud argumentum præter paritatem non addit, illud rarò aut nunquam ad probabilitatem sufficit. Quod si in aliquo casu, non tam paritas quàm identitas rationis, materiæ similitudo, atque præsumpta similis intentio in legislatore tanta vi veritatem foveat, ut prudentes merito illi assensum præbeant, tunc illa paritas simul cum adjunctis in illa peculiari materia ad probabilitatem sufficit, maximè si nil momenti afferat in contrarium. Verum hoc non adeo frequenter contingit, quamvis non est cur aliquando evenire non possit.

22. Hinc sequitur, Celladeum frustra laborasse, dum argumenta ex hujusmodi titulis contra Celladei facta non tam refert, quàm explodit, ut sic in- frustratio esse ostenditur. numeras, ut patet, opiniones tanquam insufficientes pro formanda conscientia rejiciat. Putat enim se ostendisse, quod mirabilis sit probabilitatem ac opinionum probabilium confusio, disfertque asserit §. 5. in initio, quod sensui sapientium omnium repugnet, dicere omnes prorsus opiniones probabiles pro regula conscientia usurpavi posse. Verum toto cælo aberrat à fine, quem intendit; nam aliud est, quod innumeræ opiniones inveniantur apud Auctores, quas illi argumentis proximè allatis confirmant, aliud quod illæ ideo censeri non possunt habere fundamentum grave, & esse positivè ac verè probabiles. Primum omnibus obvium est, & ultrò conceditur. Secundum probandum erat, quod certè nec Celladeus, nec quisquam probaverit, quia quamvis illa argumenta solitariè suppta non reddant conclusionem probabilem, Auctores graves raro utuntur solæ paritate re- cianit.

habilem, multum tamen ad probabilitatem con-
ducunt, atque si aliis argumentis adjungantur,
certissimam probabilitatem conflant. Jam Celladeus ostendere debebat, Auctores graves frequen-
tissimè uti solis istis argumentis ad suas doctrinas
stabilendas; hoc enim omisso, reliqua ad rem
non faciunt; quia ipsemet fatetur, nec quisquam
negat, ista aliis adjuncta probabilitatem conflare
posse. Ergo, ut concluderet, opiniones illas in-
numeras non sufficere pro regulanda conscientia,
debuisset ostendere, Auctores graves aliis argu-
mentis pro firmanda sua doctrina usos non fuisse.
At hoc non ostendit, nec ostendere potest, quia
oppositum est certissimum, & omnibus, qui gra-
ves Auctores legerunt, notorium. Quòd si quis
aliquando multum tribuat alicui ex istis argumen-
tis, id est, quia hic & nunc ob materiam qualita-
tem, & alias circumstantias, illud habet vim adeo
vehementer alliciendi intellectum, ut valeat à
probo & perito, non tamen judicante, assen-
sum impetrare; hoc autem ad probabilitatem suf-
ficit.

Aliqui
Theologi
recentiores
nimium tri-
buerunt ar-
gumento à
pari.

23. Cæterum non nego, quin aliqui Theo-
logi moderni nimis confisi sint hujusmodi argu-
mentis, atque illis solis moti, novas opiniones
contra communem scholæ sensum induxerint. Ver-
um opiniones illæ nec sunt, nec censentur pro-
babiles; quia ab omnibus, aut plerisque statim ut
improbabiles rejectæ fuerit; ex hac autem illarum
rejectione à posteriori colligitur tam argumen-
torum illorum inefficacia, quam opinionum impro-
babilitas. De hac re questus sum in admonitione
ad lectorem in tract. de Consc. prob. Et multis in
locis dixi, quid adjungi debeat, ut argumenta
istiusmodi ad probabilitatem pertingant, quæ hæc
repetenda non sunt; quia sufficienter hic expressum
est in genere, quod ibi in specie fustius dictum
reperies.

Omne fun-
damentum
non sufficit
ad probabi-
litatem.

24. Interim tres errores Celladei in hac re
omittendi non sunt. Primus habetur in initio §. 4.
ubi sic ait. Quot sunt genera argumentorum infra
certum, tot sunt genera, vel modi probabilitatum,
nam probabilitas efficitur per fundamenta. Fundamen-
ta autem alicujus conclusionis sunt argumenta, quæ
pro illa afferuntur. Hæc dicit, alludens ad modos
arguendi antea à nobis & à se recensitos, appa-
rentiamque in illis fundatam vocat probabilitatem
negativam, quia omnes illi modi argumentandi carent
positivo fundamento gravi. Jam error in hoc consi-
stet, quòd expressè supponat, omnia ista argu-
menta, etsi ad fundandum assensum rationabilem
insufficientia, tribuere probabilitatem aliquam,
quòd apertè falsum est, & contra unanimum
omnium consensum, quia nisi aliis concurrenti-
bus adeo roborentur, ut assensum mereantur, ad
probabilitatem non pertingunt. Celladeus tamen
tot genera probabilitatum quot argumentorum
concedit, vultque fundamenta levia, imo levissi-
ma aliquam probabilitatem fundare. Et ipse qui-
dem contra omnes hoc concedit, eamque proba-
bilitatem vocat negativam, quæ tamen est verissi-
ma non probabilis, non autem species pro-
babilitatis ab Auctoribus admittæ, quia ad il-
lam omnes uno ore fundamentum grave requi-
runt.

25. Alter error est, quem habet in initio §. 5.

ubi dicit, quòd omnium sapientium sensui repu-
gnet dicere, usum omnium prorsus opinionum
probabilium esse licitum. Inprimis videtur sup-
ponere, quòd hoc à multis communiter doceatur:
si hoc supponat, errat in supposito, ut alibi de-
monstravimus, quia nulli Doctores in ea latitu-
dine locuti sunt, cum omnes aut explicitis ter-
minis, aut certè implicitè per ipsam materiam &
scopum disputationis suæ omnes opiniones tan-
tum speculativè probabiles à regulanda conscien-
tia excluderint. Itaque ad solas opiniones practi-
cè probabiles assertionem suam restrinxerunt.
Jam si in hoc sensu Celladeus contendat, hanc
assertionem omnium sapientum sensui repugnare,
patenter errat, cum omnes fermè uno ore dicant,
quamvis opinionem practicè probabilem, etsi sit
minus probabilis oppositâ, ad conscientiam de-
bitè formandam sufficere. Itaque Celladeus in
omnibus errat; nec aliud prælat quam fucum
imperito lectori facere, ut in intelligenda benigna
sententia decipiatur, & sic facilius eam suspectam
habeat.

Nemo do-
cet usum
cujusvis o-
pinionis
probabilis
esse licitum.

26. Tertius error est, quòd dicat Auctores
loqui de diversis probabilitatis generibus, quan-
do tradunt, usum opinionis minus probabilis esse
licitum. Rem sic declarat. Magnum & parvum
non sunt denominationes absolutæ, sed relativæ.
Nil enim, inquit Aristoteles in Prædicamento
quantitatis, per seipsum magnum vel parvum dicitur,
sed eò quòd ad alterum refertur; ut mons quidem par-
vus dicitur, & milium magnum; quòd hoc is, quæ
sunt sui generis, majus sit; illud vero is, quæ sui
sunt generis, minus. Ex hac doctrina Celladeus
fatetur, sæpe licitum esse sequi opinionem minus
probabilem contra magis probabilem, tunc scilicet
quando minus probabile est in genere posi-
tivè probabilium, & magis probabile est in ge-
nere negativè probabilium; tunc enim quòd est
minus probabile in suo genere, habet fundamen-
tam grave, quo caret illud, quod in alio genere
est magis probabile. In hac autem re tam consi-
denter loquitur, ut insinuet, hanc esse mentem
Auctorum docentium, usum opinionis minus
probabilis esse licitum. At hoc est certè falsum,
nam Auctores illi probabilitatem non distinxe-
runt, nisi in intrinsecam & extrinsecam; dix-
erunt autem licitum esse sequi minorem contra
majorem in quovis ex istis generibus. Sic dix-
erunt licitum esse sequi opinionem contrariam
minus communem contra propriam communio-
rem, quo in casu haud dubiè existimant, pro-
priam opinionem esse utroque modo contrariâ
probabiliorum. Ergo non sunt locuti de magis
& minus probabili in diverso, sed in eodem pro-
sùs genere. Nec de hoc dubium esse potest. Præ-
terea nemo agnovit distinctionem illam Celladei
in probabilitatem positivam & purè negativam;
nam purè negativa, utpote quæ omni fundamen-
to, saltem gravi, caret, non est probabilitas;
quæcumque autem nititur fundamento gravi, sed
incerto, est vera ac legitima probabilitas, sive
fundamentum illud sit positivum, sive dicatur esse
negativum; hoc enim impertinenter se habet ad
probabilitatem, seu ad gravitatem stimuli intel-
lectualis, ut patet.

Tertius er-
ror Cella-
dei.

Celladeus
confidenter
loquitur cõ-
tra apertam
veritatem.

QUÆ